

## Qua & qualis sit in Deo scientia, &c. 43

utique cognoscit, qualia sunt, ac proinde instar futurorum,  
ad hoc ut scientia, quam de illis habet, sit verè ac propriè  
præscientia.

Deinde cùm futura non sint in rei veritate præsentia, perinde  
ac præsentia non sunt in rei veritate futura, sequitur esse  
non posse unam & eandem scientiam de utriusque, sed aliam  
de ipsis, aliam de illis esse, & aliter atque aliter vocandam;  
ut aliter vocatur illa, qua est de præteritis, & aliter illa qua  
est de futuris, juxta id, quod legitur scriptum de sapientia,  
qua dicitur scire præterita & estimare futura: *Scit præterita &*  
*de futuris affinat.* Scit itaque Deus præterita, scit etiam præ-  
sentia, sed estimat futura: ac proinde cognoscit illa ut fu-  
tura, & non instar præsentium, contraquā assertum fuerit.

Respondeo duplēcē esse sensum, in quo præscientia potest  
accipi, & in quo nunc negari, nunc admitti potest & debet;  
ut inter alios S. Augustinus & illam negavit, & illam nega-  
ri non posse, nisi ab hominibus apertissimè insani affirmavit,  
*Lib. 2. Quæst. ad Simpl. q. 2. t. 4.* Negavit dicens: *Quid*  
*est præscientia, nisi scientia futurorum?* *Quid autem futurum est*  
*Deo, qui omnia supergreditus tempora? Si enim in scientia res*  
*ipsas habet, non sunt ei futura, sed præsentes, ac per hoc non*  
*jam præscientia, sed scientia dici potest.* Tum illam ipsam præ-  
scientiam expressissimè admisit his verbis, *L. 5. de Civ. Dei c. 9.*  
*Conficeri esse Deum, & negare præsum futurorum apertissimam insa-*  
*niam est.* Itaque in sensu illo, in quo futura non sunt futura  
respectu Dei, Deus futurorum præscientiam non habet, sed  
scientiam: at in sensu isto altero, in quo futura sunt utique  
futura nobis, Deus non habet simpliciter illorum scientiam,  
sed præscientiam.

Hic autem posterior sensus, in quo accipi præscientia potest,  
inter Theologos est communior, & ita scientiam de futuris præ-  
scientiam vocant; vel præsentim, ne si solā admissa scientia præ-  
scientiam negarem, viderentur saltē in modo loquendi habere  
aliquid commune cum Ethniciis & Hæreticis non paucis, qui  
non intelligentes posse præscientiam Divinam cum humana li-  
bertate secederari, istam ut retinerent, illam sustulerunt. Quan-  
quam si alterutra esset tollenda, istam, non illam tolli oporterer,  
quia consultum magis esse debet Divinis prærogativis ac jurí-  
bus, quā humanis. Hinc licet cognoscat futura Deus instar  
præsentium, constat qualiter qua de illis apud eum est scientia.

**X X I I I.**  
Et adducere  
non posse re-  
rum futura-  
rum & pra-  
sentium  
scientiam es-  
se unam.  
*Sep. 8. 8.*

**X X I V.**  
Exponitur  
duplex sen-  
sus, in quo  
præscientia  
potest acci-  
pi.

**X X V.**  
Quæ sit ra-  
tio, propter  
quam Theo-  
logi præfe-  
ravit nomen  
præscientie.